



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

54. An saltem virtute Cruciatæ possint celebrari plures Missæ in privatis Oratoriis? Et an laicus, vel Clericus, qui Bullam habet, possit vi illius invitare Sacerdotem ad celebrandum in Oratorio ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

in suorum praesentia: ergo sicut possit celebrari in sola praesentia domini, non obstante illa particula copulativa, & ita etiam in sola praesentia famulorum, maxime habentium Bullam.

RESOL. LIII.

Quomodo intelligantur consanguinei, ut possint in Oratorio priuato cum privilegiato virtute Cruciatæ audire Missam?
Et quomodo intelligantur familiares, & domestici: Ex p. 9. r. 1. Ref. 5.

Nomine consanguineorum, inquit Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 13. n. 2. intelligi vxorem, & matrem: quia non videtur ultra priusmodum gradum concessio extendenda. Et ratio est, non quia vox ista nequeat ad alios ampliari, sed ex intentione Pontificis volentis coarctare nomen ad vxorem, qua gaudere solet nobilitate & privilegio viri, & ad cognatos in primo tantum gradu: sed Author iste non se explicat, si per se primum gradum intelligat illum, qui est in linea tantum recta, an etiam in laterali.

1. An mihi magis placeat opinio Caltri Palai tom. 4. r. 23. d. 1. p. 1. n. 8. existimantis, comprehendere cognatos, tam ascendentes, quam descendentes, & collaterales vsque ad quantum gradum quia omnes hi consanguinei dicuntur. Vxorem verò comparatione mariti, & maritum comparatione vxoris, & omnes alios affines existimare non comprehendit; quia verè consanguinei non sunt. Ita ille, qui citat, quoad hoc vltimum, Sals in Manuscriptis.

3. Sed Pater Bardi in Bull. Cruc. p. 2. tr. 2. cap. 2. sect. 3. n. 2. tenet, quod etiam sub eo nomine comprehendantur coniuges, tum quia Authores communiter ita sentiunt, vt Rodriq. Auila, Henriq. & alij: tum etiam, quia si agnatis conceditur participatio huius privilegij ob coactionem, quam habent cum priuilegiato principali, multo magis concedi debet vxori qui est vna caro cū vxore, et quos potius est velari quædã identitas, quam cognatio. Vnde ex his rectè dixit Villalob. in sum. 10. 1. r. 27. d. 1. n. 16. [Mas en esta concession se concede, que quedan hazer celebrat en presencia de todos sus familiares, y parientes, lo qual es mucho mas amplo. Por familiares se entenden la gente de casa, que comen con ella: y con ella del señor, aunque alguna vez esten fuera para negocios: mas no la criada, ó escudero, que estan asistidos para acompañar la señora, quando sale de casa a las fiestas: porque ellos no son familiares en rigor: y ellos quando ella oye Missa en su Oratorio, no podran oyr Missa con ella.] Sic ille.

4. Notat etiam Bardi quod non opus est consanguineos priuilegiati morari in eadem domo, cum ipso ad hoc vt privilegium istud participant, seu, quod idem est, non est necesse, vt sint domestici, aut illius familiares, sed sufficere titulum consanguinitatis, qui in Bulla apponitur, vt contra distinctum à reliquis, neque est vilius vestigium in ipsamet Bulla, per quod colligamus requiri cohabitationem istam. Quod autem prædicti possint, absente domino priuilegiato, audire Missam in priuato Oratorio, diximus affirmatiuè supra, & etiam Caltri Palai adduximus, licet Villalobos vbi sup. contrarium asserat, qui pro se citat Henriq. & Rodriq. Sed molta sententia est satis probabilis.

RESOL. LIV.

An saltem virtute Cruciatæ possint celebrari plures Missæ in priuatis Oratoriis?
Et an laicus, vel Clericus, qui Bullam habet, possit vi illius

inuitare Sacerdotem ad celebrandum in Oratorio quolibet die etiam ex solemnioribus, quamuis Sacerdos ipse Bulla careat, vel ipsemet Sacerdos possit Ministrum priuilegiatum excitare ad vtendum suo priuilegio, per quod facultatem habet, vt Sacerdos in praesentia ipsius Ministri celebret? Ex p. 9. r. 1. Ref. 5.

Non posse ex vi Indulti, quod solet concedere Pontifex, patet; quia id prohibetur in dictis licentiis, vt obseruat Quintanaducen. in Theol. mor. tom. 1. tract. 7. singul. 32. n. 6. Marchinus de Sacram. Ordin. tract. 3. p. 3. cap. 9. n. 9. & alij. Sed quid dicendum si talis priuilegiatus habeat Bullam Cruciatæ? Et affirmatiuè respondet Bardi in Bull. Cruc. p. 2. tract. 2. cap. 6. sect. 6. n. 24. ex vi Bullæ non solum vna, sed plures Missæ a pluribus Sacerdotibus eadem die in Oratorio priuato celebrari possunt. Probat, quia, etsi Breue Apostolicum, quo concessum fuit Oratorium, limitet illud ad vnam dumtaxat Missam quolibet die celebrandam; tamen hoc non tollit, quin per aliud priuilegium, quale est priuilegium Cruciatæ, in quo non reperitur talis restrictio, possint plures eadem die Missæ celebrari. Insuper non solum priuilegiatus potest per seipsum vi Bullæ modo prædictæ celebrare, sed etiam vi eiusdem Bullæ celebrare facere ipsomet praesente, & sic si Minister, qui inferuire debet Sacro, sine laicus sit, siue Clericus Bullam habeat, poterit vi illius inuitare Sacerdotem ad celebrandum in Oratorio priuato quolibet die etiam ex solemnioribus, quamuis Sacerdos ipse Bulla careat, vel ipsemet Sacerdos poterit ministrum priuilegiatum excitare ad vtendum suo priuilegio, per quod facultatem habet, vt Sacerdos in praesentia ipsius Ministri celebret. Et ratio est, quia in Textu ipsius Bullæ habetur expressè, priuilegiatum posse vel per seipsum, vel per alium celebrare Sacrum in Oratorio priuato. Ita ille.

2. Nec supradictis obstat Decretum Pauli V. non licere in Oratoriis diebus solemnibus celebrare, & extra illos dies solum licere vnam Missam dicere cum limitationibus supradictis. Nam respondeo, hoc verum esse: ita vt vigore illius Indulti solum liceat cum limitationibus, & conditionibus ibi contentis, in Oratorio celebrare: at supposita Oratorij approbatione, & concessione, videtur concedere Pontifex per Bullam Cruciatæ, vt possit in eo celebrari absque limitationibus supradictis, eo quod talis licentia absolute & sine temporis, & personarum differentia in Bulla concedatur. Sic etsi Parochus ex vi suæ approbationis solum possit suas oues absoluerè, at supposita approbatione, si ab habente Bullam eligatur, potest alienas, non vigore suæ approbationis, sed quia supposita approbatione Papa ei per Bullam iurisdictionem confert. Sic in hoc casu, etsi nunc in Oratorio approbato solum possit strictè, & limitatè celebrari, & audiri Missa virtute approbationis, at supposita ea approbatione, per Bullam Papæ de nouo confert absolute licentiam celebrandi, & audiendi Missam. Quod insinuat videtur ipse Pontifex, qui non immemor decreti Congregationis supradictæ post illius promulgationem in Bulla confert supradictam facultatem, & concedit Cruciatæ Commissario facultatem suspendendi ea, quæ sunt Bullæ contraria. Ac proinde Pontifex per Bullam concessionem, & promulgationem factam post supradicti Decreti promulgationem, censetur non obstante supradictò Decreto, supradictam facultatem in hac Bulla clausula contentam concedere. Vide à simili Henriquez lib. 3. de Penit. cap. 10. n. 2. lit. K. in decreto de abortu à Sixto V. anno 1596. & infr. §. 7. cap. 2. dub. 8. ver. quares igitur. Nihilominus tamen admonendum semper censeo, vt rarissime hac vtatur facultate, propter decetiam tam tremendi sacrificij, & maxime vt curent fideles se conformare laudabili consuetudini, & piis monitis,

Sup. hoc primo sup. in Ref. 51. Sed si. & cursum ad med. §. 2. Ref. 52. & pro contentio in hoc textu vsque annotatione seq. lege sup. ex Ref. 28. Nec per tot.

Sup. hoc in Ref. not. seq.

Quoad hoc & doct. seq. huius §. lege sup. doct. in Ref. 28. & inf. Ref. seq.

ANNA
BIBLIA
ILL. IV. V
III

monitis & exhortationibus suorum Episcoporum obtemperare.

3. Nota tamen quod supradicta sententia obstat nouissima declaratio Sacrae Congregationis Concilij, facta sub die 14. Nouembris 1648. Priuilegium Bullae Cruciae non suffragari pro huiusmodi Oratoriis, & Altaribus ac Missarum celebratione. Sed Aliquis possit dicere Sacram Congregationem loqui de Oratoriis comprehensis sub prohibitione Pauli V. ut erat quoddam Oratorium de quo petebat Episcopus Caluritanus: Verum in casu nostro Oratoria sunt Auctoritate Apostolica erecta, & designata, ac approbata ab Episcopo, ut praecipit Pontifex: In his enim Oratoriis asserunt citati Doctores suffragari Priuilegium Bullae: ergo non comprehenduntur in dicta declaratione. Vel dicendum est, Sacram Congregationem intelligere Priuilegium Bullae non suffragari, ut quis, eius virtute, possit erigere Oratorium in Domino absque alia dispensatione Pontificis, ut Palaus, & alij voluerunt; non autem quando Oratorium erectum est ex indulto Pontificis, & approbatum ac designatum ab Episcopo, ut praescribitur in licentia Pontificis. Si vero sensus Sacrae Congregationis fuerit, etiam istum Casum in dicta declaratione comprehendere, eius determinationi me libenter subiicio; semper enim ego purpuratorum Patrum Responso veneratus sum.

RESOL. LV.

Sup. hac prima diff. in Ref. 1. not. seq. & lege §. penult. & vlt. Ref. praeterita.

An in priuatis Oratoriis cum licentia Summi Pontificis approbatis ab Ordinario licitam sit virtute Bullae Cruciae non solum in diebus concessis sed etiam in Festiuitatibus prohibitis, celebrare & ibi Missam audire?

Et quid tempore interdicti? Ex p. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 76.

§. 1. **S**uppono licentiam celebrandi in aliquo Oratorio priuato, ut patet ex eorum tenore, multas conditiones habere, & praesertim quod a dicta licentia celebrandi & audiendi Missam in dictis Oratoriis excipiantur dies Paschae resurrectionis, Pentecostes, & alia festa solemnia; quaritur modò an Episcopus possit prohibere habenti Bullam ne celebrare faciat, vel Missam audiat in Oratorio aliàs approbato, etiam in supradictis festiuitatibus? Et negatiuè respondeo cum Aegidio Trullench in *exposit. Bull. Cruciat. lib. 1. §. 3. dub. 4. num. 11.* quia vigore dictarum licentiarum solum licet cum limitationibus & conditionibus ibi contentis in Oratoriis celebrare; at supposita Oratorij approbatione per dictam licentiam Pontifex per Bullam Cruciatam concedit, ut possit in eo celebrari absque limitationibus supradictis, eo quod talis licentia, ut patet in Bulla Cruciatam, conceditur absolute & sine temporis & personarum differentia. Sic etsi Parochus ex vi suae approbationis solum possit suas oues absolueri, at supposita approbatione, si ab habente Bullam eligatur, potest alienas non vigore suae approbationis, sed quia supposita approbatione Papa ei per Bullam iurisdictionem confert; sic in hoc casu, etsi nunc in aliquo Oratorio modo quo supra approbato solum possit strictè & limitatè celebrare & audiri Missa virtute approbationis, at supposita ea approbatione per Bullam Cruciatam Papa de nouo confert absolute licentiam celebrandi & audiendi Missam, quod insinuare videtur ipse Pontifex, qui non inmemor supradicti decreti post illius promulgationem in Bulla confert supradictam facultatem, & concedit Commissario facultatem suspendendi ea, quae sunt Bullae contraria. Vide etiam

Sup. hoc & doct. seq. huius Ref. vid. sup. Ref. 28. à princ. vique ad §. penult. & pro parte lege inf. doct. Ref. seq.

praeter Trullench Rodriguez in *addit. ad Bull. Cruc. §. 5. num. 1.* vbi sic ait. [Nota que no solamente se concede aqui licencia para que se pueda decir Missa en tiempo de entredicho en oratorios priuados visitados por el ordinario mas aun en qualquier otro tiempo, y esto da a entender claramente la Bula plumbea, ibi, *etiam tempore interdicti*, laqual dición etiam da claramente a entender que se concede esta licencia para todo el tiempo; y porque en tiempo de entredicho auia mas dificultad aña de la Bula] etiam tempore Interdicti. Igitur, ut dictum est, licet in Oratoriis priuatis approbatis ab Ordinario non possit celebrari nisi cum limitationibus appositis à Pontifice in eorum licentiis, tamen supposita dicta approbatione vigore dictae licentiae postea per Bullam Cruciatam absolute in illis quis celebrare potest, & Missam audire, quod est valde notandum à Confessariis.

RESOL. LVI.

An saltem qui habet Bullam Cruciatam in Sicilia, Hispania, &c. satisfaciat precepto audiendi Missam in diebus Oratoriis? Ex p. 9. tr. 1. Ref. 4.

§. 1. **A**ffirmatiuè olim respondi, & hanc sententiam ex Rodriguez, Trullench, & aliis tenent Pater Bardi in *Bull. Cruc. part. 2. tract. 2. cap. 6. sect. 1. num. 7.* & patet ex verbis Bullae, per quae Pontifex absolute concedit, posse in Oratorio priuato, si fuerit deputatum ad diuinum cultum, & ab Episcopo approbatum fieri sacrum, vel illi assistere; neque stringit priuilegium ad tempus interdicti tantum, ut indicat dictio illa, *Etiam*, quae est explicatiua, & augmentatiua, sic enim dicitur. [Possunt dicto anno durante in Ecclesiis, in quibus aliàs Diuina Officia interdicti durante quomodolibet celebrare permillum fuerit, vel in priuato Oratorio ad diuinum cultum tantum deputato, ab Ordinario visitando, & designando, etiam tempore interdicti, &c. Missas, & alia Officia Diuina per seipsos, si Presbyteri fuerint celebrare, vel per alium celebrare facere, &c.] particula enim illa, *Etiam*, denotat facultatem hanc pro omni tempore esse concessam videlicet, tum pro tempore Interdicti, tum pro alio tempore, in quo non est Interdictum; & quia poterat esse dubitatio pro tempore Interdicti, idcirco per ipsam particulam voluit Pontifex pro tempore Interdicti eam comprehendere, & de illo expressam mentionem facere. Et idè si Pontifex noluisse priuilegium extendere extra tempus interdicti, non debuisset apponere dictionem implicatiuam; quae de natura sua exprimens casum magis incertum, implicat minus dubitabilem, ut quam plurimorum auctoritate, & variis iuribus ostendit Augustinus Barbosa de *edit. vsu freq. dist. 112. num. 1.* & talis est ordinarius, & consuetus loquendi modus inter homines, nam si quis verbi gratia dicat: Petrus contemplationi rerum diuinarum, etiam nocturno tempore vacat, loquutio ista significat, Petrum non solum in contemplatione se exercere tempore illo expresso; verum etiam horis diurnis; aliter superflua foret dictio implicatiua, & esset omitenda.

2. Nec obstat dicere in Bulla nullibi inueniri facultatem celebrandi, aut Sacro assistendi, extra Interdictum: quia licet tempus Interdicti exprimitur; nihilominus per dictionem implicatiuam dispositio Pontificia ampliatur ad aliud tempus extra interdictum. Si verò quis contra argumentetur assumendo priuilegium istud esse odiosum, atque adeo non ampliandum. Respondere possumus in dictione implicatiua esse vim ampliatiuam, seu augmentatiuam, non